

378

DISSERTATIO SOLENNIS  
MEDICA  
DE  
VOMITV  
GRAVIDARVM

QVAM  
AVSPICE SVMMO NVMINE  
GRATIOSO FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV  
PRO

GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME  
CONSEQVENDIS

An. MDCCXXXIII. die XIV. Novembr.

H. L. Q. S.

PVBLICAE ERVDITORVM CENSURAE SVBMITTET,

DITLOFF BENJ. HÜCKEL,

*Commendar. Licent. March.*

Physicus Drosnensis.

---

FRANCOF. ad VIADR.

Typis SIGISMVNDI GABRIEL, ALEX.

26



DISTRICTO SOLINIS

MEDICAE

DE

VOMITIV

GRAVIDARVM

OPUS

AVR. REE. S. M. O. S. V. A. N. S.

GRADUAT. C. A. S. S. M. E. T. C. O. S. E. N. S.

M. D.

GRADU. DOCTORIS

SVMMO IN MEDICINA HONORIS. AD

FAVORIS RITE ET ECCLIAE

NOT. S. O. S. S.

AN. MDCCXXIII. die 2. V. Novemb.

A. A. S.

MEDICAE ERVDITIVVM CIVISRAE SVMMITET

DITLOFF BENJ. HVCKEL

Physicus Director

FRANCO. & WERD.

THE SIG. SMYNDI GABRIEL. A. P. S.

7





## PROOEMIUM.



Raeter multa eaque gravissima incommoda, quae sexus femineus ex brevi *συστασις* voluptate, per multorum dierum, septimanarum & mensium, decursum sustinere tenetur, ventriculus prae aliis partibus suos patitur manes & appetitus, modo extraordinarie auctus, modo in res absurdas, esui ineptas directus, modo autem immixtus, dejectus, imo & plenarie abolutusprehenditur; adeo, vt vel recordatio sola alimentorum & porulentorum, alias palato gratissimorum, nauseosa, odor & aspectus vix tolerabilis, usus vero molestissimo, nonnunquam etiam periculoso vomitu vindicetur. Sorte miseranda hujus sexus commotus, officio, quod mihi honores doctorales ambiendi ex constitutione academica praestandum incumbit, vix melius perfungi me posse existimavi, quam si speciminis inauguralis loco, de *Vomitu Gravidarum*, affectu gravidis admodum familiari & frequentissimo, qua fieri potest, perspicuitate agam, juxtaq; genuinam ejus indolem & convenientem medelam brevibus commonstrem. Cui instituto, vt Deus T. O. M. ex alto benedicat, idque in salutem proximi vergere feliciter sinat, est quod ardentibus precibus oro & contendo.

A

Thej.



*Thef. I.*

**V**omitum in genere definitio, quod sit contentorum ventriculi, & prouti plus vel minus vehementior fuerit, humorum in intestina exoneratorum impetuosa & praeternaturalis per os rejectio, consistens in motu extraordinario retrogrado dictarum partium & oesophagi, inque concussionem validam musculorum cum abdominis tum diaphragmatis, in gravidis potissimum a congestione sanguinis versus ventriculum, originem trahens, & variis graviditatis indicibus ab aliis vomituum speciebus se distinguit.

*Thef. II.*

Differentiam vomitus gravidarum, quod attinet, magna & mira passim occurrit varietas, tam ratione temporis gestationis, temporis diei, durationis & materiae excretae, quam ratione effectus, vehementiae symptomatum aliarumque circumstantiarum. Omnium frequentissime hoc incommodo vexantur aliae prioribus statim post conceptionem diebus, & interjectis aliquot septimanis, aliae vero circa gestationis finem eidem obnoxiae sunt. Aliae jejunae & horis quidem matutinis, aliae bene pastae & saturae, aliae autem, nullo harum circumstantiarum respectu hoc affectu tentantur: Nonnullae feminarum primis tantum graviditatis diebus hoc incommodo corripuntur, plerisque per aliquot septimanas & menses molestum est, paucissimae vero per totum gestationis tempus eodem laborant: cujus generis exemplum tamen notum mihi est de femina hujus loci, per totum gestationis curriculum vomitum patiente, felici nihilominus prolis utriusque sexus matre. Haec femellam in utero quoties gerebat, toties quotidie ferme a principio usque ad

ad finem graviditatis vomebat, masculo autem gravi-  
da, a vomitu fere vivebat immunis; qua observati-  
one etiam freta in posterum non temere divinabat,  
cujus sexus foetum in lucem esset editura. Ratione  
materiae excretae, aliae per vomitum reddunt alimen-  
ta & potulenta pridem assumpta. plus minus digesta,  
aliae materiam viscidam mucosam, acidam, biliosam,  
aliae plane sanguinem purum putum.

*Thef. III.*

Neq; effectus hujus vomitus in omnibus semper idem  
est, in aliis scilicet criticus, in aliis symptomaticus; Criti-  
cus est, quando, quod in ventriculo haeret, & eidem ma-  
lestum est, cum euphoria eliminatur; qui vero a causa  
remotiori ventriculum male afficit, symptomaticus au-  
dit, nihil proorsus adferens solatii. Denique vel est le-  
vior, facili negotio succedens & nullis, vel saltem haud  
notabilibus symptomatibus comitatus; vel est difficilis  
& vehementior multis gravissimisque symptomatibus  
stipatus. Postremo gravidarum aliae certos tantum cibos  
fastidiunt, quos vix assumptos statim iterum e ventri-  
culo evomunt, certos autem cibos avidè appetunt, ingur-  
gitant & quod mirandum, impune ferunt & retinent.  
Perraras & insolitas vomitus species in gravidis allegat  
Nicol. Pechlinus, quarum mentionem hic loci facere a-  
re non plane erit alienum. *Novi, inquit, gravidas, qui-  
bus post conceptum, viri aspectus & osculorum basiorumque mistura,  
jam vero & ipse concubitus tam detestata erant, quam quod maxi-  
me; certe appropinquante viro, nausea salivatio, vomitus aliaque  
symptomata in promptu. Vid. ejusd. Observ. Phys. Medic. Lib. I.  
Obs. XLV. p. m. 105.*

*Thef. IV.*

Mira illa atque multiplex vomitus gravidarum va-  
rietates, multis forte Autoribus ansam dedit in varias hu-  
jus

jus affectus causas inquirendi, earque genuinas eruendi, quibus prolixè recensendis libens superfedeo, metuens ne Dissertatio hoc modo praescriptos limites superet; sufficiat, quantum pro ingenii tenuitate judicare licet, adduxisse probabiliores & veriores, quas inter generalissima sine dubio est, & verissima *Sanguinis abundantia*, naturae molesta & particularis ejus restrictio ad ventriculum. Ea enim est sexus pulchrioris conditio, ut singulis praeter propter mensibus proportionatam quantitatem sanguinis pro ratione plethorae, plus vel minus urgentis, excernat, cessante autem hac excretionè sanguinis copia augetur, & quia foetus, primo graviditatis tempore vix formicae magnitudinem excedens, omne alimentum ex sanguine consumere & in usum corpusculi convertere nequit, necessario moles sanguinis superflua regurgitat, exitum in gravidis lege naturali non inveniens, & prouti ad illam vel aliam partem corporis magis redundat, modo huic, modo illi molesta & gravis evadit, unde ad ventriculum congesta, vomitum producit. Maximam autem sanguinis copiam in feminis ferri ad infimum ventrem, vel ipsa vatorum structura manifeste docet, observarunt namque Cl. Archib. Pitcarnus Obs. de Flux. menstr. §. 24. & Joh. Freynd. in Emmenalog. Cap. IV. §. 4. p. 20. Aortam descendentem, respectu ascendentis majorem habere proportionem & ampliolem esse in feminis, quam in viris, & contra in viris aortam ascendentem respectu descendentis, majorem habere proportionem, quam in feminis, quo ipso major semper sanguinis quantitas ad inferiores corporis partes in feminis quam in viris feratur necesse est.

*Thes. V.*

Ne autem gratis haec asseruisse videar, sententiam hanc, de plethora & particulari sanguinis restrictione, ceu vomitus gravidarum vera causa, ulterioribus & quidem sequentibus rationibus & observationibus confirmatum ibo, quarum (1) est,



- (1) est, quod huic vomitui praecipue obnoxiae sunt feminae, quae extra conjugium viventes tributum hoc lunare prae aliis largius solverunt.
- (2) Quod virgines a sanguinis menstrui suppressione indeque orta versus ventriculum restagnatione, eodem modo ac gravidae vomitum aliaque circa ventriculum pathemata experiuntur.
- (3) Quod pleraeque gravidarum primis tantum gestationis mensibus fiunt nauseosae & vomibundae, in progressu autem & foetu magis incrementum capiente, vomitus ille sensim imminuitur, imo tandem plane evanescit, appetitus vero in aliquibus ita augetur, ut fere fame canina laborare videntur; Tunc enim quo grandior foetus factus est, hoc majorem sanguinis quantitatem pro corporis nutritione requirit, qua ratione plethora tollitur, sanguis versus ventriculum collectus, iterum sensim sensimque ad uterum ejusque; vasa successive ampliata recedit, & congestione soluta, causa vomitum produciens aufertur.
- (4) Quod sanguinem sincerum in gravidis per vomitum excretum Praetici saepius observarunt. vid. Eph. N. C. Dec. II. A. IX. & X. p. m. 4.
- (5) Denique ratio ex ipsis juvantibus patet, quandoquidem V. S. ne simplici, subinde etiam reiterata, omnium optime huic incommodo prospicitur, evidenti testimonio, plethoram hujus vomitus causam esse, eaque sublata vomitum cessare.

*Thef. VI*

Et si autem haec sanguinis abundantia ejusque versus ventriculum congestio praecipua vomitus gravidarum causa sit, non tamen sola & unica semper est, sed aliae etiam concurrentes hunc affectum producere interdum solent; id quod faciunt cruditates in ventriculo cumulatæ, imprimis perverso & improbo appetitu, cui feminae saepe numero ultra modum indulgent, ante conceptionem collectæ; quin ipso graviditatis tempore multae

sæpe coacervantur impuritates; constat enim gravidarum alias, aliquando res plane absurdas quam avidissime appetere usq; adeo, vt appetitus his non sedatus cum periculo abortus in aliis conjunctus fuerit, aliquando res esui aptas in larga & prodigiosa quantitate devorant, unde assumpta partim copia ventriculum onerantia, partim qualitate eidem inimica & infensa critico quasi naturae conatu iterum eliminanda vomitu exturbantur. Ex quibus ratio patet, cur vomitus ab hac speciali causa oriundus nonnullis gravidarum tolerabilis, & utrique cum foetui tum matri plane innoxius deprehendatur.

*Thef. VII.*

Neq; excludendam hic esse, saburram biliosam ventriculo & primis viis molestam, haud sine ratione judico; major enim in nonnullis graviditatis tempore animadvertitur ad iracundiam dispositio & propensio, quæ bilis copiosiori effusioni occasionem ministrat, vt hoc ipso vomitus succedant crebri & mere biliosi.

*Thef. VIII.*

Vomitum sub conceptionis initio eumque primis post foecundum coitum diebus accidere solitum Joh. Sigm. Elsholtius in Eph. N. C. A. vj. & vij. Obs. CXCVI. p. 287. equidem derivat ex facta exclusione sive translatione ovi ex ovario in tubam falloppianam & hinc in uterum. Sed vero, diffidendum licet non sit, femellarum quasdam horrorem subinde cum refrigerationis sensu illico vel brevi post coitum percipere, imo conceptionem in aliquibus consequi humorum omnium & consequenter totius corporis insignem alterationem, adeo vt nonnullae ad vomitum inde quoque disponantur, quae phaenomena ab aliis plane inter praegnantiae notas passim etiam numerantur. Vix tamen verosimile est, hanc vomitus speciem a plethora induci, quae in instanti generari nequit. Quare rationi magis consentaneum esse videtur, hanc a motu illo extraordinario in utero contingente, & ventriculo per consensum ner-

vorum communicato, suam habere originem, quaeque rarissime vel nunquam medici auxilium poscit, sed sponte brevi desinit.

*Thef. IX.*

Denique circa finem gestationis in nonnullis vomitus observatur, qui neque praedictis causis in acceptis ferri meretur, sed potius ab expansione uteri majori & ingenti proficiscitur, quae cavitatem abdominis implendo & intestina sursum premoendo, ventriculo pro assumptorum quantitate se se expandendi locum non concedit, & frequentem ad contentorum rejectionem ventriculum impellit. Id quod potissimum ex eo manifestum fit, quod vomitus talis nullis, ne quidem praestantissimis remediis cedit, edito autem foetu, sua sponte evanescit.

*Thef. X.*

Quae autem praegnantium praecipue subiecta sint vomitui ex antecedentibus jam quodammodo intelligere licet. Suntque imprimis tales, quae tenera & molli corporis structura praeditae, plethorica simul gaudent constitutione, quaeque fluxum menstruum largiorem expertae fuere, neque minus cocochymicae & quae gulae nimis indulgent, ac cibis dyspeptis ventriculum infarciunt, vitam autem degunt sedentariam & a nimi pathematibus valde obnoxiae sunt.

*Thef. XI.*

Signa vomitus in genere, sicuti sunt manifestissima & in oculos primo statim incurrunt intuitu; ita diagnosis vomitus a conceptione oriundi tanto est difficilior, tantisque obscuritatibus obvoluta, ut non nisi gravitate rite cognita, & signis ejus praesentibus, ab aliis vomituum speciebus accurate distingui queat. Quam ardua autem res sit, praegnantiam certo cognoscere, quamque accurato & sagaci scrutinio opus sit, neminem Medicinae peritum fugere potest. Tanta enim signorum farrago a Medicis passim conscripta invenitur,

tur, horumque tam absurda quaedam & fabulosa ab aniculis narrantur, vt quisque auctoritati & traditionibus coeca fide firmiter innitens, miserrime nequeat non decipi; Inter signa enim graviditatis, nonnulla partim aperte falsa, alia dubia plane atque mere conjecturalia sunt; Pro ratione tamen variarum circumstantiarum & temporis, certas ingravidationis notas dari, omnium fere gentium & unanimi Medicorum consensu liquet. Spretis igitur anicularum delirantium gerris & omissa proluxa signorum, quae hujus loci non sunt, graviditatis recensione, brevibus tantum ostendam, quo tempore ac modo, itemque quibus circumstantiis graviditatem vel conjicere vel sole meridiano clarius demonstrare valeamus.

*Thef. XII.*

Dubia vero incerta atque mere conjecturalia sunt signa graviditatis primo graviditatis tempore, praecipue in illis, quae nubilibus annis castitatem illicita & clandestina venere turpiter macularunt, & probrosam impregnationem subierunt; Pleraque enim tum occurrentia signa & symptomata sunt incerta, & mensium obstructione laborantibus communia, hocque incertiora existunt, quo minori judicio seorsim, nullis aliis circumstantiis simul junctis, expenduntur, inprimis, si femina vinculo conjugii soluta Medico dignoscenda obveniat, quae praegnans sit, nec ne, simulare versute & callide dissimulare noverit, ad quaestiones a Medico propositas ambigue semper respondens, quales apparenter innubae, virginitatem mentientes saepenumero Medicos adeunt, & graviditatem simplici mensium obstructione occultant, medicamenta sanguinem pellentia sub praetextu mensium suppressorum revocandorum, efflagitant, quibus furtivo amore conceptum fetum malitiose expellant. Ne ergo Medicus astutia & fraudibus talium feminarum decipi se patiat, famaeque

que periculum incurrat, talibus ex incertitia efficaciora emmenagoga forte praescribendo, probe in omnes & singulas circumstantias inquirat necesse est, ex quibus notitiam aliquam acquirere valeat, praegnas sit, nec ne? quae examini & iudicio ejus se stiterit. Suspiciatus ergo Medicus sagax & prudens graviditatem ex aliquibus phaenomenis aut responsionibus ad quaestiones motas factis, dubius tamen adhuc quodammodo, utrum nuda tantum mensium suppressione laboret femina, an vero sub ea absconditum furtivi amoris pignus aliquod delitescat, medicamenta ad symptomata simpliciter directa, vel quae graviditati nullam adferunt noxam, in usum provide ducat. Interea non cunctetur in vitae rationem inquirere & sedulo scrutari, utrum concubitus flagitiosi nomine suspecta frequentius pridem remediis usa sit, an vero cum fastidio eadem semper sit averfata, quod posterius si adverterit Medicus, in progressu vero ad menstrua revocanda remedia, horumque usum, sollicitè expeti cognoverit, non levis in itae veneris illicitae & consequenter conceptionis factae suspicio nascitur, quae ipsa etiam post elapsam deinceps unum alterumve mensem hoc certius confirmatur, quo plura tum graviditatis essentialia signa & symptomata se se manifestant.

*Thes. XIII.*

Magis probabilia & certiora sunt graviditatis indicia in feminis honestis conjugatis, quae aliquoties jam pepererunt; Illae enim accurate ad ea, quae in corpore fiunt, attendentes, peculiarem & exquisitam ipso conceptionis articulo voluptatem cum subsequente horridulo sensu totum corpus percursante percipiunt & sui generis alterationem persentiscunt, cum contractione quadam partium genitalium internarum. Huld. Pelargo teste, mulierum, praecipue temperamenti phlegmatici & sensibilibioris constitutionis, non solum prima

B

vice,

vice, sed post singulas conceptiones, tertio vel quarto die, uterus, sive potius vagina uteri, madore perfunditur, & cruribus arctius complicatis pedibusque decussatim positis federe malunt; vid. ejusd. observ. clinic. An. III. p. 480. Quo quasi medio natura utitur ad meliorem & firmiorem uteri occlusionem, qua obex eidem objiciatur, ne quod in humani generis conservationem semel accepit, illico perdat. Neque frustra plane, mulieres initio conceptus, nonnumquam etiam multo post, venerem adeo nuper amatam & illecebris quaesitam, tandem fastidire, adstruere satagit Nic. Pechlinus in Obs. Med. Lib. I. obs. XLV. p. 105. Ad haec quoque femina quaevis secunda, tertia vel quarta vice gravida, si observet accurate phaenomena cum prima graviditate esse praesentia, tanto certius ex his concludere poterit in primis si peculiariora & individualia illa fuerint, qualia passim ab Autoribus variis commemorantur. Quibus omnibus circumstantiis hucusque adductis, cum signis graviditatis dubiis, qualia sunt suppressio mensium nausea, vomitus, insolitus appetitus &c. rite comparatis, prodibit tandem ex horum collatione ipsa rei veritas.

*Thef. XIV.*

Minus certa, sed potius conjecturalia, sunt signa graviditatis in principio & primis quidem gestationis temporibus prima vice gravidarum, in primis, si innocenti simplicitate ductae, accidentium in corpore suo paulo magis incuriosae fuerint, atque morbida constitutio concurrat.

*Thef. XV.*

Magis autem medio gestationis tempore appropinquante, certiora & evidentiora semper prodeunt graviditatis indicia; Abdomen enim sensim sensimque protuberat & globosa ejus intumescencia per umbilicalem regionem totius haemisphaerii summitatem format; A morbida au-

autem constitutione tumor abdominis ortus inaequalis magis, & diversam convexitatem efficit, aliisque concurrentibus morbofis signis se se distinguere solet. Sic & umbilicus ordinarie in non gravidis foveam formans, facta graviditate magis prominet, quod signum hoc certius erit, quo haec umbilici protuberantia crescente graviditate, magis magisque augetur, & mammae simul firmiores, compactiores & cum interspersis vasis sanguiferis turgescens turgidulae apparent, cum sensu pruritus & punctorio papillarum dolore. Porro mulieri, jejuno stomacho & vesica urinaria evacuata, supinae decumbenti, calcibus versus nates retractis, si vola manus transversaliter abdomini imponatur, ea ratione, vt digitus auricularis ossi pubis adiaceat, reliquis versus umbilicum exporrectis, tunc spiritu fortiter attracto, ventreque introrsum leniter presso, hac pressione rotunda uteri durities, & motus foetus, si gravida fuerit, sentitur, qui hoc sensibilibior erit, quo contactus ille & pressio manu frigidiuscula instituta fuerit; Sic enim motus foetus subsultorius a borborygmis, flatulentis susurris intestinorum probe distinguitur, qui vagi sine duritie hinc inde in intestinis oberant, & in loco fixo nunquam consistunt.

*Thef. XVI.*

Exigente tandem necessitate, uteri status & praecipue internum ejus orificium digitis etiam exploretur, utrum scilicet contractum & clausum hoc, an vero apertum & pervium sit, docet quippe Hippocrates, *illarum, quae in utero gerunt, os uteri clausum esse Sect. V. aph. 51. item, quibus os uteri durum est, iis necesse est, os uteri clausum esse. Sect. V. aph. 54.* Unde hanc uteri clausuram pro signo graviditatis, ejus duritiem vero pro signo clausurae plurimi Medicorum acceperunt, sicuti inquit propterea Domin. Panarol. Pentec. 3. Obs. 3. p. 78. *Gravidarum signa incerta sunt omnia, fallacia & vana gestationis principio.*

Unum tamen post longas observationes a nobis factas, habuimus videl uteri clausuram, quae digito immisso ab obstetrice diligenti & docta in anatomica sectione in mulieris vulvam cognosci poterit. Quae sententia etiam non prorsus rejicienda est, quamdiu scilicet haec uteri clausura cum aliis essentialibus plurimis graviditatis signis judiciose conjungitur, solitaria enim pro certo & demonstrativo graviditatis signo perperam habetur, quandoquidem testantibus multis Medicorum hoc orificium non semper apertum hiat in non gravidis & nec omnes gravidae, hoc clausum primo & secundo mense, ipso auctore fatente, habent.

*Thef. XVII.*

Quo vero clarius pateat, quomodo cervix uteri cum osculo ejus interno, in statu extraordinario comparata esse soleat, ejus conditionem ordinariam prius indicandam esse, putavi: Est autem substantia ejus admodum compacta & dura in circumferentia glabra, glandem membri virilis praeputium denudatam referens, cum rima transversali styli paulo majorem ad cavitatem uteri vix transmittente, longitudinis extremi circiter articuli digiti auricularis, crassitie vero dictum articulum in basi superat, in apice autem minor est. Situs ejus obliquus posteriora versus tendens observatur & altus admodum est in virginibus & feminis, quae rarissime coitum celebrarunt, ita ut, si erecto stent corpore, digito vix ac ne vix attingi queat. Quae autem venere frequenter usae sunt, orificium uteri magis habent descendens. Mulierum, quibus fluxus menstruus instat, imo fluentibus praecipue mensibus, collum uteri est longius, crassius mollius & osculum magis vel minus apertum, prouti sanguis in minori vel majori copia fluat.

*Thef.*





*Thef. XVIII.*

In gravidis feminis statim post factam conceptionem dicta uteri cervicis portio longitudine paulisper augetur & invalescente graviditate crassities & mollities accedunt, & incrementa usque ad mensem gestationis praeter propter sextum sumunt; tunc temporis vero, quo magis uterus extenditur & foetus gravitate sua cervicem ejus premit, eo magis longitudo ejus & crassities imminuunt, ita ut per ambitum orificii uteri totum mollem extensa & repleta uteri rotunditas animadvertatur. Imminente autem partu longitudo illa plane ablata deprehenditur & osculum hiare & tamdiu dehiscere continuare solet, donec caput infantis sufficiens exeundi spacium acquisiverit.

*Thef. XIX.*

Quibus omnibus haecenus recensitis, plura quidem adhuc de signis graviditatis addi possent, sed ne extra oleas vagari videar, ad specialiolem signorum contemplationem, quibus innotescat, a qua praecipue causa vomitus gravidarum originem ducat, nunc propero. Sicuti autem ex prioribus constat, plethoram & congestionem sanguinis versus ventriculum omnium frequentissimam existere causam; ita signis plethorae ordinariis praesentibus & circumstantiis antecedentibus & concurrentibus rite perpenfis, facili negotio a vomitu ab alia causa oriundo dignosci & distingui potest. Quando autem a faburra vitiosorum humorum & cruditatibus in ventriculo & primis viis latitantibus excitatur, levamen non solum feminae vomentes a vomitu placide peracto perfentiscunt, sed etiam sapore, odore & colore peculiaris ejus indoles se se exferit, & quidem si acris biliosa materia illa fuerit, transitu suo per fauces & os acridinem linguae imprimit, & colore flavo, viridescente se se prodit, appetitus est prostratus & non nisi ad aci-

da & aquosa directus. Acida, si fuerit saburra, sapore & odore acido se se manifestat. Materia autem viscida lenta & fatua sua qualitate se se distinguit.

*Thef. XX.*

Prognosin quod spectat, in genere periculosa & tristis formanda non est; quotidianae emin observationes de gravidis vomitu laborantibus occurrunt, edocentes vomitum talem non solum nihil damni inferre; sed potius a placido & minus laborioso solatium illas sentire, & saburra ventriculum molestante expulsa, satis bene & commode se habere, tandemque hunc sua sponte cessare. Quando autem diutius 1) durat, & in habitum quasi degenerat, aut 2) materia excreta quantitatem assumptorum superat aut 3) ingesta extemplo regeruntur, aut denique 4) inde magna oritur virium jactura, tunc omni periculo non caret; per immodicam enim vomitionem feminis aequae ac foetui necessaria nutritio subtrahitur, ut debiles exinde ac nimium macilentae fiant. Sic & talis vomitus intempestivam & praematuram foetus exclamationem minatur. Tandem & ipsa futuro negotio mensium graviter praedicit & feminas ad vomitum cruentum, passionem hystericeam aliaque gravia incommoda disponere solet. Neque minus periculosus est vomitus gravidarum a bile acri in primis viis stabulante exortus, illa enim stimulante sua acrimonia nimis frequentem ejectionem anotericam causat, spasmodicos motus partibus vicinis inducit & sinestros effectus producere solet. Vomitus sanguineus dubii est eventus; nonnunquam enim observatus est innoxius, qualis observatio invenitur in Ephem. Germ. An. IX. & X. p. 43. Observ. vj. item in Jo. Nic. Pechlini Observ. Phys. med. Lib. I. p. 86. Obs. XXXvij. qui adducit exemplum gravidae, paucorum dierum spacio decem sanguinis libras vomitu rejicientis, quae nihilominus justo tempore foetum sanum & vegetum, faci-



facili opera enixa est. Nonnunquam vero lethalis deprehenfus est, qualis observatio itidem in Ephem. German. An. IX. & X. pag. 68. prostat. Instantis autem mortis indicium esse solet vomitus materiae nigricantis villosae, putridae in copia ejectae, qualem tristem casum mihi Practicus fide dignus & in Praxi probe versatus non ita pridem retulit, dignum meo iudicio, quem huc transcribam: Vidua juvencula viginti septem annorum, temperamento sanguinea, corporis habitu spongiosa, facie florida, duorum ex primo conjugio liberorum mater, ad secunda vota transiens, cum tertia vice concepisset circa finem secundi mensis nausea & vomitu, consuetis alias gravidis morbis, correpta, in tam frequentes & enormes plane in progressu incidit vomitiones, ut ab his ultra sextum conceptionis mensem durantibus, quotidieque plus saepius recurrentibus, eadem penitus enervaretur, adeo nimirum ciborum omnium fastidio & vomitu protracto, ut dejecta nil amplius, quam aquam frigidam avidissime appetere, quam ad unam alteramve horam licet retentam ex brevi nihilominus intervallo vomitu denuo rejiciebat, & quidem non puram nec limpidam, sed villosa & nigricante materia refertam. Hisque vomitionibus diutissime vexata, tandem septimo graviditatis mense tota viribus fracta cum maximis anxietatibus praecordialibus, singultu & febre misere moriebatur. Et licet multa & praecipua artis praesidia ad mitigandum & compescendum vomitum adhiberentur, nimirum absorbentia, diaphoretica fixa, nitrosa, cinnabarina, antispasmodica, temperata vinosa & stomachica selecta, idque genus alia, maxime iterata etiam V. S. cum topicis, variis scil. Emplastris, Linimentis, Oleis, Epithematibus calidis, stomachicis, frustra tamen haec omnia in usum ducebantur, cumque ventris inspiciendi copia Medico non esset, non temere conjiciebat, ventriculum inflammatione & sphacelo, sub finem ab ingenti & indissolubili

bili sanguinis congestione correptum fuisse. Vomitus autem circa finem gestationis ab expansione uteri ingenti exortus, nullam admittit curationem, partu autem edito sua sponte cessat.

*Thef. XXI.*

Missã nunc theoretica hujus affectus contemplatione, progrediendum mihi est ad ejusdem therapiam. Methodus vero medendi & curatio, si quae necessaria judicatur, quo debite & secundum artis regulas rite instituat, ad causas vomitum hunc producentes respiciat, necesse est. Et quemadmodum superius jam innui, abundantiam sanguinis, ejusque versus ventriculum congestionem omnium frequentissimam vomitus gravidarum existere causam; ita unusquisque statim praevidet, nullum plethorae hujus imminuendae promptius ac convenientius proflare remedium, ipsa V. S. ne, circa instantem terminum menstruum potissimum celebranda; Hoc enim tempore, sanguis, ad uterum in magna copia defluens majores turbas & commotiones excitare consuevit, qualia molimina, in gravidis itidem solito tempore haud raro apparent. Si tamen vomitus aliaque symptomata urgentiora videntur, phlebotomiam omni tempore etiam administrare licet. Haecque sanguinis ventilatio, tanto magis indicatur, quanto mulieres tales vomentes, fluxum mensium extra graviditatis statum semper largiorem expertae fuere: Unde copia sanguinis emittendi quodque a plethorica gravidæ constitutione, & fluxus menstrui ante conceptionem conditione determinanda est. Cum autem nunquam periculo careat, larga nimis & simultanea evacuatio sanguinis, qua superfluous sanguis unica vice subtrahitur, V. S. nem potius reiterare convenit. Nimis parca enim sanguinis quantitas subducta, ut juvet, tantum abest, ut potius variis anomalis, & spontaneis sanguinis eruptionibus ansam sub-

subministraret, praeprimis, si natura jam ventilationem intendat, quae in actum etiam deducta prospere procedit, si per locum excretionis, non adeo incongruum fiat. Confirmavit me in hac sententia, exemplum gravidae, vomitu frequenti & gravissimo correptae, quae alimenta & potulenta antea assumpta, brevi post iterum evomebat. Cumq; macilenta pallida & usq; adeo languida incederet, ut lecto maximam partem affixa teneretur, neque ulla urgentis plethorae apparerent signa, omitterebatur V. S. eique alia convenientia substituebantur remedia, sed sine ullo solamine, accedebant potius in progressu palpitationes cordis per vices recurrentes cum aestu interno, urina rubicunda, aliisque plethorae & sanguinis, exitum molientis indiciis; Praeterea ipsa femina haec antea jam, & quidem prima vice gravida abortum fecerat. Quibus probe pensitatis V. S. necessaria iudicata, instituebatur in brachio, sanguinis ad uncias praeter propter tres, quantitate imminuta, qua facta neque dum vomitus cessabat, complicabantur potius capitis & dentium dolores per biduum durantes, donec solers natura, remanente superflua sanguinis quantitate se se liberatura, spontaneam & largissimam quidem haemorrhagiam excitaret, qua facta, enormis ille vomitus cessabat, aegram per integros duodecim septimanas miserrime vexans, remittebant capitis & dentium dolores reliquaque symptomata, appetitus redibat, ut relicto lecto per septem circiter dies satis bene valeret. Quibus elapsis novum oriebatur malum, febris scilicet anomala in quotidianam transiens, quae aegram pridem restitutam, viribus tamen exhaustis, gravissime per aliquod tempus denuo prosternebat, nec sine manifesta causa; sanguis enim e vena educus evidens pravae & mucosae constitutionis praebebat indicium, quae V. S. ne corrigi vix poterat, sed opus esse videbatur, motu se- & excretorio, correctionem rite perficiente. Neque de-

C

erant

erant causae occasionales, quae dispositionem ad febrem suscipiendam vel in actum deducere & exacerbationem talem inferre valebant; ventriculus enim frequenti vomitione destructus, non solum ingestis rite concoquendis non amplius par erat, sed & frequentes iracundiae occasiones, non levem huc quoq; conferebant symbolam. Casui huic fere analogum exemplum habent Ephem. Germ. An. IX. & X. jobf. vj. p. 43. de femina gravida, quae, sanguine parcius subtracto, in haemorrhagiam narium satis largam post. V. S. nem incidit. Locus, quo vena aperienda, ordinarie sit in brachio; variantibus tamen circumstantiis V. S. etiam in pede non est adeo reformidanda, experientia enim Medicos docuit, feminas illicito concubitu gravidas, phlebotomiam in inferioribus, partibus scopo abortum promovendi, multoties adhibuisse, irritum licet successu, quam experientiam in feminis honestis Practici secuti, sed innocentem efficaciam deprehenderunt. Praemissa sic V. S. ne, adhibeantur congestionem illam versus ventriculum discutientia, quo sine celebres sunt, pulveres nitroso-resolventes, Essent. cortic. Cascaril. itemque Millefol.

*Thef. XXII.*

Ubi vero cruditatibus & saburrae primarum viarum, vomitus gravidarum originem debet, materia illa peccans praecipue corrigenda, postmodum incisa attenuata & ad excretionem disposita ceu mobilis facta, demum decenter evacuanda; Priori scopo litant resolutiva tam interna quam externa, salia incidentia duplicata, nitrosa, alkalica fixa, prioribus in refracta dosi admixta, vt & absorbentia, qualia sunt Crem. tart. vitriol. arcan. 2pl. nitr. depur. nitr. regen. nitr. antimoniac. Sal absinth. cent. min. card. ben. oc. 69. ppt. cryst. mont. ppt. corall. rubr. ppt. &c. Quibus succedant vegetabilia omnis generis resolventia,  
Rad

Rad. pimp. alb. helen. galang. Herb. marub. alb. menth. meliss. ferpill. cort. aurant. in infuso danda. Aut ex his paratae Essentiae scil. Essent. Zedoar. galang. cort. aurant. macis, menth. vel Bals. embryon. Elix. propr. f. acid. c. arcan. tart. liquid. parat. Item moderatus usus aromatum. Quae omnia pro constitutione gravidae prudenter seligenda, sub quacunque forma adhibita, hac cum cautela, vt in cholericis vel sanguineis subjectis omnia calida, orgasmum & expansionem sanguini inducentia postponantur. Praeparata sic materia peccante, natura tam laboriosis & frustraneis conatibus vix habet opus, utpote qui plus molestiae inferunt, quam ipse actualis vomitus sponte procedens, & contenta ventriculi facili negotio expellens. Cum internis, externa quoque infra Thef. XXV. commendata in usum sunt ducenda.

*Thef. XXIII.*

Naturae moliminibus tamen alii insistentes, his ad via brevi excutiendam saburram, commendant vomitoria; Et certe sunt practicae observationes, quibus constat, vomitoria innoxie fuisse adhibita, in cuius rei fidem, peculiarem casum recenset *Vit. Riedlinus in lin. med. An. 1697. Mens. Jul. obs. Xvj. p. m. 464.* de Medico quodam celeberrimo, qui gravidae, crebris vomitibus, gravique nausea vexatae, post decimam a conceptione hebdomadem, vomitorium sat forte, sexies & decies vomitum ciens, exhibuit, pro certo asserens, nil mali unquam a vomitorio gravidis inferri posse, modo abdomen fascia apta, priusquam medicamentum sumserint, ligaverint. Ast enim vero deficiunt non minus casus tristes, a vomitoriis exorti, quibus naturae, in perniciem tam matris, quam foetus, vis illata legitur, quare cum vomitoriis caute mercandum esse existimo. Cum autem metuendum sit, ne natura motibus excretoriis inyerfis adsuescat, consultius est, vt peristaltis naturalis

ralis promoveatur, & materiae peccanti via per alvum monstratur, id quod impetratur, partim per clysteres emollientes, partim per lenia laxantia, qualia sunt Elix. prop. f. acid. c. rhabar. c. vino malvatic. parat. vel arcan. tart. liquid. &c. Omnia autem purgantia drastica, cane & angue pejora fugienda sunt.

*Thes. XXIV.*

In vomitu a materia bilioso-acri producto, praeter Salia subacida, media, nitrosa, absorbentia, blanda etiam acida, acredinem illam temperantia, conducunt scil. spir. nitr. dulc. spir. fal. dulc. spir. vitriol. dulc. spir. sulph. per Camp. Mixt. simpl. S. C. Tinct. corall. c. succ. citr. par. &c. Acidum vero, si peccet, proficua sunt, absorbentia, alkalica fixa &c.

*Thes. XXV.*

A frequentiori vero vomitione, quoniam tonus ventriculi admodum debilitatur, necesse est, ut debitum robur, quantum fieri potest, eidem restituatur; quo fine prioribus subordinentur blande tonica, stomachica, martialia v. g. Ess. Gent. rubr. Ari Caryophyllat. Tinct. vitriol. mart. Ludov. Tinct. vitriol. mart. cum arcan. tart. liquid. par. Vinum generosum malvatic. Burgundic. Hungar. Rhenan. antiquum. Quae omnia pro varia circumstantiarum conditione & aedentis intentione adhiberi possunt. Neque negligenda hic sunt remedia topica regioni ventriculi applicanda, utpote multum utique ad compescendum ejusmodi vomitum conferentia: commendari pro hoc scopo merentur linimenta stomachica ex ol. N. M. express. ol. destill. mellif. absinth. menth. foenic. carv. mac. cardam. ror. mar. & bals. peruv. &c. paranda. Emplastra, item stomachica, Empl. de Tacamahac. de Baccis laur. de crusta panis cum ol. destill. malaxanda. Conveniunt etiam Sacculi ner-



¶ ( 21 ) ¶

nervini & resolventes ex Rad. ari, caryophyllat. angel.  
Herb. menth. meliss. ror. mar. ferpill. Fl. anthos, cha-  
mom. r. addito Ligno Sassafras &c. Ex quibus fiant  
sacculi interpastati, scrobiculo cordis calide applicandi.

*Thef. XXVI.*

Diaetam justo severiorem gravidis talibus ordina-  
re, frustraneum, nonnunquam etiam nocivum foret;  
Quae enim continua laborant nausea, diaetae vitia non  
facile committunt, & si invitis, etiam proficua judica-  
ta obrudantur, haec non statim stomachum leniunt,  
sed potius nauseam & vomitum augent. Praescriben-  
da tamen est, diaeta tenuis temperata, leniter aroma-  
tisata, prouti gravidae status hanc permittere videtur.  
In Regimine autem caveant sibi a refrigeratione abdo-  
minis partium inferiorum, moderate moveant corpus,  
temperant sibi quantum possibile, ab ira & placide  
expectent gestationis & inde ortarum  
molestiarum finem.


S. D. G.



Honori ac meritis  
Viri Juvenis  
Præstantissimi  
**DITLOFF. BENJAMIN HÜCKELII,**  
*Quum lactis auspiciis & multa cum laude medicorum  
familiae adscriberetur.*

**T**andem igitur cantare tuos DITLOFFE triumphos  
Et dabitur palmas posse referre tuas!  
Namque dies instat, qua cingis tempora lauris,  
Et merito: pretium si modo Virtus habet.  
Pendenti vomitum gravidæ, quam sæpe nocentem,  
Innumeras grates pandit Edusa Tibi.  
Felix! quem studiis javat incubuisse severis  
Exemplumque sequi, dulcis Amice, Tuum.  
Quid multis! dudum meritos Tibi grator honores,  
Signaque lætitiæ, dat Tibi Musa mea.  
Ipete Drosnenses, quibus felicibus usus,  
Et morbos patria pellito ab urbe graves.  
Quid ni! pervigiles sperat Tua Drosna labores,  
Augurur: insignis sic eris urbis amor.  
Auguror: en medicas feliciter ibis in artes  
Præmia ponentur, digna labore Tuo.  
Sis Felix! crescant tituli! sit dexter Apollo,  
Omnes Galenus det Tibi divitias,

*Hæc ex  
Sincero animi affectu non artis,  
Sed amicitiae causa apponere soluit*  
**CAROLVS AVGVSTVS à BERGEN,**  
*M. D. & P. P. Extr.*



*Uxor ante Partum onerosa, in Partu dolorosa,  
& post Partum laboriosa.*

**V**t Labor esto Vito, Gravidæ sic sunt Dolores;  
Cæsaris ob tantos gratia venit huic. (\*)  
**Ex** illis Vomitus, Fætur, contingit eidem,  
Quem Tu tractasti sedulitate Tua.  
Gratulor ex animo & calamo Tibi talia Scripta,  
Queis Te Doctoris præmia clara manent.

**GOTTLÖB ROTHE,**  
*Phil. D. ac P. L. C.*

(\*) S. 2. *Inst. ad SC. Tertull. Nos. 162. c. 3. Nos. 156. c. 1. Walsb. Post. Harm. P. 1. p. 248. P. 2. p. 79. 835. f. Giesb. Deuter. Harm. p. 649. f. Henr. Müller. Ungerathene Ehe p. 152. S. &c.*


01 A 6605

ULB Halle 3  
003 092 054



V. 17  
KD. 12





38

DISSERTATIO SOLENNIS  
MEDICA  
DE  
VOMITV  
GRAVIDARVM

QVAM  
AVSPICE SVMMO NVMINE  
GRATIOSO FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV  
PRO

GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME  
CONSEQVENDIS

An. MDCCXXXIII. die XIV. Novembr.

H. L. Q. S.

PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTET,

DITLOFF BENJ. HÜCKEL,

*Commendat. Licent. March.*

Physicus Drosnensis.

---

FRANCOF, ad VIADR.

Typis SIGISMVNDI GABRIEL, ALEX.

